



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. Iohanne Gualberto, Vallis Vmbrosæ abbate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

dormiuit in Domino, aeterno pro meritis coronandus brauius, quinto Idus Iulias.
Plura de hoc sancto habentur, quae ad eius vitam spectant, 19. Iunij in
vita S. Deodati Episcopi.

VITA S. IOHANNIS GVALBERTI, AVTHORE
(NI FALLOR) BLASIO MELANESIO, GENERALI ORDINIS
Vallis Vmbrosae. Is enim scripsit huius beati viri vitam, sed Codex
MS. eius nomen non habebat. Stylum mutauit F. Laurentius
Surius in gratiam Lectoris, adiectis ad marginem Capitibus.



ANNO salutis millesimo quadragesimo claruit beatus Iohannes Gualbertus, primus architectus & fundator Ordinis Vallis Vmbrosae, cuius professores viuunt conuenienter Regule S. Benedicti, quibusdam constitutionibus priuatis illi superadditis, vtunturque; habitu coloris cinericei. Habet autem is Ordo multa monasteria in Tuscia & Gallia Cisalpina, quam Longobardiam vocat. Patria autem huius sancti viri Florentia fuit. Parentes habuit nobiles. Pater Gualbertus dictus est, vir militaris. Cum adhuc iuuenis degeret in seculo, & pater eius Gualbertus, quem diximus, capitalis esset hostis cuiusdam, qui eius cognatum iniuste peremerat, eaque causa non Gualbertus modò, sed etiam Iohannes filius eius vitionem expeteret: accidit quodam die, ipsum Iohannem cum armigero suo Florentiam proficisci, in ipso autem itinere venire ei obuiam ab insperato hostem illum capitalem, idque loco tam angusto, vt neuter posset à via desistere. Tum verò hostis ille, quòd inermis esset, nihil nisi mortem presentem expectans, subito quadam concepra fiducia de clementia Iohannis, ab equo desiliit, humique; prostratus, iunctis cæcularum ad pedes manibus, pro Crucifixi amore veniam sibi dari humiliter postulauit. Compunctus Iohannes audito nomine Crucifixi, pacem illi obtulit propter amorem Crucifixi, qui pro suis hostibus ipsum crucifigentibus rogauit, ne perirent: iussitque eum surgere à terra, metumque omnem ponere, quòd iam ex animo ipsi culpam omnem condonasset, vt posset ipse quoque propitium experiri Deum: fecitque ei copiam quòd vellet recedendi.

Porro ipse vltra progressus, in quandam ecclesiam monachorum, quae erat in itinere, se contulit, & cum coram imagine Crucifixi genua flecteret, vidit Christi à Cruce pendens caput ad se inclinari, tanquam gratias ipsi agentis, quòd pro eius reuerentia hosti capitali peperisset. In tanti miraculi testimonium hodieque; Crux illa in ecclesia S. Miniatis, in monte prope Florentiam, cum magna veneratione & cura seruat: vbi olim fuit monasterium monachorum, quos Nigros vocat: nunc verò Alborum est, id est, montis Oliueti. Iohannes autem ea Christi vocatione attractus, constituit seculo nequam valescere, labentia cuncta despiciere, vt Christum in Cruce nudum suspensum, ipse quoque nudus sequeretur. Itaque; ad isthuc S. Miniatis monasterium profectus, ab Abbate & fratribus humiliter petijt sibi sanctae religionis habitum donari. Receptus igitur in laici habitu, pro monasticae vitae consuetudine comparat se ad capiendam vitam religiosae experimenta. Interea pater eius audiens filium suum monachum futurum, ad monasterium abijt, filium ad se mitti postulat. Sed cum Iohannes ab Abbate ea de re interrogatus, non assentiret, timens ne quid à patre, homine severo & aspero, periculi sibi crearetur: Abbas iniquum censebat, illum compellere & in discrimen conijcere. Tum verò furore percitus Gualbertus pater, quòd non daretur ipsi copia cum filio colloquendi, multas ei monasterio minas intenuit, si ausi essent filium eius in suam fodalitatem admittere. Multum igitur anxij formidabant monachi, si habitum monasticum, quem ille obnixè poscebat, Iohanni traderent, ne aliquo insigni damno à patre eius afficerentur. Cum ergò nullus auderet veste monastica eum induere, ille feruore spiritus inflammatus, cum sibi ipse capitis comam torondisset, cucullum fratris cuiusdam apprehendit, eumque; super altare in ecclesia reponens, hilariter sibi induit, cunctis fratribus iuuantibus & congratulantibus illi. Etsi autem pater eius, vt illum

Iulij 12.
Cap. 1.
Ordo Vallis
Vmbrosae à
quo codic.
quo codic.

S. Iohannis
patria & pa-
rentes.

Vide pier-
tem.
Luc. 23.

Cap. 2.
Nota Lec-
tor, & di-
sce igno-
scere.

S. Iohannes
monasticum
habitum pe-
tit.

Id eius pa-
ter fert mo-
lestissimè.

Mirabilis
feruor S. Io-
hannis.

vidit ea veste indutum, initio acerbè tulit, multumq; doluit, ac propemodùm amen-
tia quadam correptus, se derelictum & desolatum clamitavit: at tamen ab Abbate
tandem & ab ipso filio confirmatus, sese colligens, & ad se rediens, consolationem
accepit, & filio benè precatus, hortabatur vt in cœpto constanter perseveraret.

Cap. 3.
Exercitia
eius & vir-
tutes.

Ità ergò Iohannes iam monachus effectus, cœpit non sese inertia & segnitiei dare,
sed ieiunijs & inedia vigilijsq; domare corpus, ocium vitiorum sentinam summo pe-
rè vitare, in preces & pias meditationes religiosè incumbere: humilitatis, patientia,
obedientia, cunctarumq; virtutum de se exempla omnibus præbere. Non diù post

Recusat Ab-
batis fur-
tionem.

Abbate ex hac luce migrante, fratres congregati, Iohannem in Abbatem vnanimi-
ter eligunt. Sed illud munus vir Dei humiliter recusans, malebat iubeffe, quàm præ-
esse: non ignorans, quo quisque sublimiori sit loco constitutus, eo maiori in periculo
eum versari. At non sic impij, non sic: qui stimulante ambitione, per Simonij pestem,
per fas & nefas, per abrupta nitentes in sublime, præcipientes corrunt. Erat in eodem
monasterio frater quidam Is prava cupiditate inflammatus, Abbatia illius admini-
stratione, numerata Florentino Episcopo pecunia, ad se adduxit. Id vbi vir Dei com-
perit, cum alio ipsi fauente monacho clam ex monasterio recessit, veniensq; Floren-
tiam, quendam magni nominis senem adit cum socio. Teuzo is senex dicebatur, &
apud beatæ Mariæ ecclesiam Florentiæ in quadam cellula seincluserat, permultiq;
ad eum confluebant, salutaria ab eo consilia experentes. Valdè autem Simonij labè
detestabatur, qua tunc multi in Dei Ecclesia contaminati erant. Ab illo igitur Iohan-
nes iciscitabatur, num sub Abbate Simonico intrà suum monasterium Christo mi-
litare deberet, vel quid sibi faciendum esset. Consuluit ille, vt cum socio palàm in fo-
ro ciuitatis coram omnibus proclamaret, Episcopum & Abbatem Simonij vitio ob-
noxios teneri: ac deinde loco cederent. Quod consilium, tametsi à communi legum
consuetudine abhorreret, simpliciter ille securus est. Ea autem res magnum horro-
rem attulit multis, quibusdam Episcopi studiosis & amicis clamantibus, reum esse
mortis, qui tanto viro tam foedam labem adpersisset: alijs verò eum excusantibus.

Teuzo in-
cluius.

Porro è tumultu extractus, clanculum vix euasit manus eorù, qui Episcopo fauebant:
consulenteq; illo, quem diximus, solitario homine, è patria discessit, & cum socio
perquirere cœpit locum ad seruiendù Deo maximè accommodatum. Habebat tum
apud se socius eius panè vnum, quem pro necessaria ipsorum refectioe seruauerat.

Cōsulit Teu-
zonē quid
sibi sit agen-
dum.

Eum vir Dei pauperi obuiam venienti stipemque petiti dari iussit, iactans cogitatum
suum in Dominum, qui dat escam omnibus in tempore opportuno. nec sua fidutia
frustratus est. Cùm enim ad castrum quoddam applicuissent, à multis abundè eis res
necessaria suppeditata sunt.

Discedit è
patria S.
Iohannes.

Ut autè ad eremum Camaldulensem peruenire, non breuem illic fecere moram,
illic degentium mores contemplantes & vitam, qua quidem sancta erat, sed eremi-
tica & solitaria. Cùmq; ab eius loci habitatoribus inuitarentur, vt se ipsi professione
coniungerent, beatus Iohannes magis appetens vitam cœnobiticam, quippè ruti-
orem, quàm sit solitaria, inde recessit ea animi sententia, vt alibi nouam quandam con-
gregationem institueret, sancti Benedicti regulam secuturam. Veniens igitur ad
Vallem Umbrosam, à duobus monachis, qui illic Domino famulabantur, deuotè
susceptus est: & cum locus ei arrideret, constituit illic sedem figere, constructo quo-
dam vili ex lignis domicilio. Sed non diù passus est Dominus lucernam sub modio la-
tere. Fama sanctitatis eius per loca viciniora sensim sese diffundere, permulti & cleri-
ci & laici eius inuisendi causa, plerique etiam conuersionis studio ad eum venere, in
quibus fuere, Erizo, Albertus, Teuzo, Rodolphus, itemq; Petrus, qui postea fuit Alba-
nensis Episcopus Cardinalis, & complures alij. Porro Abbatissa quædam S. Hilarij, cu-
ius monasterij erat locus memoratus, postquam audiuit virtutes beati Iohannis & so-
ciorum eius, subsidio eis misit alimenta quadam & codices, & postea consentiente
monasterio, locum ei donauit cum rebus & possessionibus multis, publico scripto
donationem illam confirmans.

Psal. 54.
Psal. 144.

Postquam autè & numero & merito satis illic monachi increuissent, placuit omni-
bus ipsum beatum Iohannem sibi Abbatem renunciare. Itaque licet admodùm ren-
nitentem & inuitum, in primaria sede illum collocarunt, eius imperio parituri. Tan-
dem ille, nè diuina voluntati resistere videretur, eis cessit: susceptoq; Abbatibus mini-
sterio, mentem Regulæ beati Benedicti, quam complexi erant, accuratè inspiciens,
modis omnibus eam obseruandam curauit. Itaque prohibuit, nè vnquam monachi
è mona-

Cap. 4.
Vita Camal-
dulensium
monacho-
rum.

Cap. 5.
Et primus
Abbas Val-
lis Umbro-
se S. Iohan-
nes.

Cap. 6.
Et primus
Abbas Val-
lis Umbro-
se S. Iohan-
nes.

Cap. 7.
Et primus
Abbas Val-
lis Umbro-
se S. Iohan-
nes.

Cap. 8.
Et primus
Abbas Val-
lis Umbro-
se S. Iohan-
nes.

è monasterio exirent, nisi propter res necessarias monasterij, idque petita prius exendi facultate. Voluit etiam noctibus nunquam in dormitorio lumē abesse, haud secus atque in oratorio. Ad vilitatem vestium & paupertatem horrabatur fratres, tum etiam, ut cilicij vterentur. Ex ouium suarum lanis varijs inssit promiscuē pannum fieri, vnde vestes conficerentur. Quae autem alios docebat, ipse prā omnibus & ante omnes perfectius exequi studebat. Erat in precibus assiduus, charitate diffusus, humilitate lenis, patientia constans, in obiurgandis vitijs rigidus, erga poenitentes benignus, in cunctis morum grauitate maturus, abstinentia praecipuus, paruo admodum cibo potuque contentus, qui mortem arceret, non qui delicias adferret. Verum ex nimia viuendi austeritate fracto stomacho, in eum morbum incidit, quem syncope vocant, quo beatum Gregorium Pontificem vexatum legimus: ita vt nisi crebro fratrum opera cibus ei oblatu esset, animam adurus videretur. Qua molestia eum ad supremum vitae diem laborasse nōrunt, qui eum nouerunt: sed ille suis eam peccatis imputans, patientissimē tolerabat. Putabatur autem diuina fortassis dispensatione eam illi euenisse, vt suae infirmitatis experientia disceret, quemadmodum ipsum oporteret aliorum misereri. Cum enim initio pauci essent, qui propter austeritatem eius possent instituta seruare, eo morbo correptus, tanta moderatione, discretionē & misericordia erga omnes imbutus est, vt nemo illo humanior videretur. Commissos, quos vocat, & Conuersos siue Laicos fratres permultos recepit, eosque externis admouebat operibus, vt monachis tolleretur occasio euagandi, possentque liberius orationi vacare.

Catalogus
virtutū ei⁹.

Infirmitas
vt suis con-
fratrib⁹ in-
firmis com-
patiatur.

Per id tempus Henricus rex Florentiam veniens, cum multas beati Iohannis vir-
tutes auditione accepisset, quadam erga illum concepta beneuolētia, hortante Teu-
zone supradicto, misit Episcopum Catholicum ad Vallis Umbrosae monasterium,
qui summum altare consecraret. Post aliquot vero annos Hubertus, sanctae Roma-
nae Ecclesiae Cardinalis, totum templum consecrauit cum duobus alijs altaribus. Eo-
dem tempore multi fideles nobiles loca obtulerunt alijs coenobijs extruendis con-
grua, odore sanctitatis eius inuitati. Alij rogabant eum, vt monasteria dissoluta, sibi
moderanda & gubernanda sumeret, & ad antea dictam formam reuocaret. Constru-
xit tum recens vir Dei monasterium sancti Saluij, item aliud in Mosceta, tertium in
Razulo, quartum in monte Scalario. Paginam quoque, iam vetustum monasteri-
um, reformandum suscepit, atque aliud S. Reparatae in Aemilia siue Romandiola.
Horum autem singulis suos praefecit praepositos, saepiusque illa visitabat, corrigens
quae emendatione digna viderentur. Fuit autem vir Dei verus paupertatis amator,
in omnibus illam praese ferens & docens. Itaque cum monasterium Muscetanum
visitaret, videretque structuras grandiores & elegantiores, quam illorum paupertati
congruere videretur, domino Rodulpho, eius loci Abbati vultu seuerissimo dixit:
Tu hoc in loco magnis impendijs, quibus plurimi pauperes foueri potuissent, pro-
pria voluntate palatia fabricasti. conuersusque ad riuulum quendam exiguum iuxta
manantem, ait: Deus omnipotens, qui minimis magna efficere soles, videam minist-
erio pusilli riuuli istius enormis structurae huius celerem vindictam. His dictis, mox abiit,
tanquam abominatus locum illum. Porro simulatque inde abiit, confestim riuulus
cepit increfcere, collectaque magna aquarum vi, locoque suo relicto, praiceps a mon-
te ruit, & petrarum scopulos atque arbores secum trahens, structuras illas funditus
euertit. Quam obrēm Abbas cum fratribus perturbatus, coenobium aliud transferre
voluit. At pius pater benignē eos consolans, dixit: Nolite timere, nec mutetis locum,
nihil ab hoc riuulo deinceps accepturi detrimēti. Quod quidem eius vaticinium vique
in hodiernum diem compleri certum est.

Cap. 6.

Multa ex-
struit mona-
stera.

Zelus pau-
pertatis ei⁹.

Deus nō ele-
gates fabri-
carum stru-
cturas, sed
animarum
expectit.

Alio tempore cum audisset quendam conuersionis gratia coenobium petijisse, totumque patrimonium suum in charta scriptum, neglectis haeredibus, secum eò apportasse, mox illud monasterium adiit, & Abbati, qui chartam illam receperat, imperauit, vt sine mora eam sibi exhiberet. Quam acceptam discepit, humi abiciens fragmenta eius. Putabat enim rationi & aequitati magis consentaneum, exiguis contentum viuere, quam auctis opibus superbia efferri. Deinde valde commotus, zelo sanctae paupertatis, Deum & Apostolum eius rogauit, vt ipsum de illo coenobio vleiscantur: confestimque iratus abscessit. Nec longē abiērat, cum ecce re-
pentinus existit ignis, monasterium illud magna ex parte absumens. Vt autem socius eius vidit incendium, & ei indicauit, nec retrō respicere voluit, nec eò reserre pe-
dem,

Cap. 7.

Ignis caele-
stis vleisci-
tur mona-
stium.

dem, sed ad Vallem Umbrosam iter profectus est.

Cap. 8.

Quo in monasterio cum resideret, & Stephanus Romanus Pontifex per vicina loca iter haberet, audita celebri fama eius, nuncios ad eum misit, viros honoratos, orans ut ipsius conspectui se presentare non graueretur. Sed cum aduersa valetudo non sineret eum ad sanctitatem illius proficisci, Pontifex denique nuncios misit, fortassis quod existimaret eum modestiae & humilitatis causa nolle venire, indignumque se arbitrari, qui coram ipso appareret, vel etiam cupere eum latere: iussitque, ut si aliter venire non posset, in lectica se adduci pateretur. Cernens igitur vir Dei mentem Pontificis, in ecclesiam ingreditur, rogatque Dominum, ut contra scandalum & inobedientiam aliqua ratione id efficiat, ne cogatur ipse summo Pontifici sese presentem exhibere. Deinde surgens ex lecto, coram nuncijs Pontificis conuersos aliquot ad se accersiri iubet, qui ipsum ad Pontificem perferant. Sed cum paululum a monasterio discessissent, mox ingens exitit aëris tempestas, ventis seuientibus, & immenso imbri e caelo ruente. Quod legati cernentes, & non sine diuino miraculo fieri credentes, illum ceu verum Dei hominem, in monasterium reduci mandant, beatissimo Pontifici rem, ut erat gesta, referentes. Qui deinceps noluit eum ad se acciri, ut in sua quiete permanens, pro felici Ecclesiae statu Dominum oraret.

Stephanus Rom. pontifex.

Cap. 9.
Pollet spiritu prophetia.

Nec defuit viro Dei gratia discretionis spirituum, neque donum prophetiae, quo occulta hominum, soli Deo cognita, diuina reuelatione edoctus, enunciauit. Si quis ad monasterium veniret, monasticum habitum petiturus, ex eius adpectu cognoscebat, num Dei spiritu moueretur. Cum esset in * Passiniano monasterio, quidam ad eum venit, dicens se velle mundum relinquere. Is primò apud eum repulsum passus est, sed cum importunè instaret, à pijsimo patre receptus est. Is igitur in conuersionis inijs pro more confessionem faciens, quaedam peccata dixit, maiora prae verecundia reticuit. Gerardus, homo dicebatur. Ait itaque quodam die vir sanctus ad eum: Quid ita Gerarde mihi imponere voluisti? Illo dicente, Qua in re, pater sancte, tibi imposui? Vir Domini ad partem eum trahens, secretò dixit ei: Ea in re decepsisti me, immò verò te ipsum potius, quòd non es integrè confessus peccata tua. In ipsa enim Epiphania Domini & pridie eius diei cum illius hominis vxore adulterium perpetrasti, nec tamen in confessione dixisti: quòdque deterius est, etiam in proposito eius adulterij iterandi persequeris. His ille auditis, cum agnosceret peccatum suum, nec dubitaret diuinitus beato viro reuelatum, quòd sciret esse occultum, prostratus ad pedes eius, cum lachrymis veniam petijt, egitque poenitentiam.

Aperit secreta cordium.

Cap. 10.

Quidam vir nobilis & diues, viro Dei familiarissimus, Vbaldus nomine, grauissima laborabat valetudine. Vxor verò eius iamiamque animam aditum expectabat, misitque Beuronem familiarem suum ad virum Dei, ut eum de mariti imminente obitu faceret certiorè. Venit Beuro celeriter ad hominem Dei, in monte Scalaro tunc commorantem, indicauitque illi, quid haberet in mandatis. Tum beatus Iohannes, versis ad Orientem luminibus, fusaque ad Deum prece pro homine moribundo, Beuroni dixit: Redi ad tuos. quem enim reliquisti supremum trahentem spiritum, sanum & legitimum offendes. Ità nimirum & ægro obtinuit sanitatè, & rem Beuroni incognitam explicauit atque praedixit.

Sanat moribundum.

Cap. 11.

Manente viro Dei in monasterio Passiniano, Leo Papa illac transiens cum curia sua, volebat illic cibum capere. Quasiuit ergò vir sanctus ex œconomò suo, num pisces haberet beatissimo Pontifici offerendos: cumque didicisset nullos eum habere, conuersos quosdam iussit ire piscatum in fluuio siue lacu vicino. Cunctis affirmantibus illic pisces non inueniri, perstitit in sententia, dicens ut irent, & Domini auxilium sibi adfuturum minimè dubitarent. Itum est ergò, & duo magni lucij capti sunt. Eos cum omnium admiratione apportatos, ipse vir beatus Pontifici obtulit, gratissimo animo illos accipienti. Viscera pietatis & misericordiae magna erant in illo, eaque eum permouebant, ut multis modis miserorum inopiam subleuaret, ipse inops & pauper. Ab infantia enim creuerat cum illo miseratio. Reuersus quandoque ab aliorum visitatione monasteriorum ad suum Umbrosianum, memor inopiae, quam multi tum premebantur, dispensatorem suum Gofredum, & Procuratorem Rusticum nomine, vocas ad se: Inspiciamus, inquit, horreum, uti se habeat. Ut vidit autem abundè illud repletum: Quam multi, inquit, fame opprimuntur in hac annona caritate, & vos abundatis? Iussitque, adferri vas quoddam, quinque plus minus capiens modios,

Pisces capiunt ubi nulli erant.

Eius commiseratio in pauperes quanta fuerit.

dios, illudque frumento impleri: quod ab hora tertia usque ad nonam per seipsum gratia liberalitate pauperibus aduentantibus elargitus est: mansitque horreum aquæ, ut antea, plenum.

Fame populum quodam tempore premente, beatus pater stans ante fores monasterij de Razuolo, vidensque gregem vaccarum eius in montis iugo herbas carpere, nec haberet alimoniam, quam petentibus pauperibus largiretur, ita precatus est: O sancte Paule, si velles unam ex his vaccis cedere in usum pauperum. Confestim vacca deorsum corruens, extincta est, cuius carnes iussit egenis distribui. Ea distributa, similiter petijt sibi & secundam & tertiam & quartam dari: easque omnes pauperibus dedit. Ea re contristati pastores, gregem ad aliud montis latus abduxere. Sed vir pius pauperum precibus satisfacere desiderans, nec habens tamen, vnde id posset, cum lachrymis orauit: Sancte Paule, isti loci mutatione fugere moluntur: sed te, qui loci huius patronus es, e fugere non possunt. Tu qui misericordiam & eleemosynas præstandas docuisti, dona mihi, vnde pauperes sustentare queam. Mox aliæ quinque vaccae ruerunt præcipientes, quas eo casu extinctas iussit pater sanctus pauperibus erogari. Id ubi pastores aduerterunt, grauiter de illo conquesti sunt, asserbantque satius esse curare illum reduci ad suum Vallis Umbrosæ monasterium, quam cum tanta ipsorum iactura illic eum hæere. Quibus ille placidè respondit: Video vos hac re afflictos: sed bono animo estote: nullius porro vacca iacturam facietis. Id quod etiam sic euenit. Alio tempore cum non haberet panes, quos daret, totum lac pauperibus iussit erogari. Quædam etiam pluuiæ receptacula, Valli Umbrosæ donata, tempore inopia vendidit, & precium pauperibus distribuit.

Multa edidit miracula: multos morbos sanitati restituit. Aegrotus quidam, Florentinus nomine, filium habens ex morbo iam ad extrema tendentem, ad venerabilem patrem, qui tum apud S. Saluium erat, venit, salutem poscens filio suo. Sancto viro respondente, non hæc sua, sed Apostolorum esse opera, ille nihilo minus in precibus perseverauit. Tum vir pius commiseratione victus, cum fratribus pro illo rogauit Dominum, & illic curatus est. Accidit quandoque, ut fratres nimia egestate, non nisi tres panes in monasterio haberent. Illos beatus pater iussit diuidi, & singulis singulas particulas apponi. Simul autem perpendens, necessitati non esse præfixam legem, cum Cellario suo egit, ut aries vnus occideretur, & coctus fratribus apponeretur: Hodie, inquit, penuriam patimur, cras abundabimus. Itaque hora prandij fratres ad mensam sedentes, singuli particulas suas panis comederunt: à carnibus autem appostis omnes abhorruerunt, nec eas pro sui canonis reuerentia attingere voluerunt. Postero die, ut vir sanctus prædixerat, venerunt quidam ad beati Saluij monasterium cum multis iumentis, frumento & farina onustis, afferentes à nobilibus se missos esse. Sed quinã illi nobiles fuerint, resciri non potuit. Eiusdem generis aliud contigit alio tempore. Cum enim pane deficiente, iussisset bubulam fratribus apponi, & illi non auderent contingere, orante viro Dei, quidam monasterij fores pulsauit. Ad quem Cellarius exiens, vidit eum multos panes adferentem: quos ille fratribus ad mensam importauit, gratias Deo agentibus, qui dat escam in tempore opportuno. Porro Cellarius reuertens ad fores, ut nomen hominis cognosceret, qui illos panes misisset, neminem illic inuenit. Ille enim pistor miserat panes, qui filijs Israël manna è celo præstitit in deserto.

Quidam mente captus cum ad Passinianum monasterium iret, ut illic curaretur, cum alijs fluuium Arnurum nauigio transmittens, impellente vesania, in medium flumen se precipitem dedit: sed virtute Dei & meritis beati viri, ad ripam fluminis incolumis euasit. In monasterio Umbrosiano quidam frater malè habebat. Quæ ergo medicina ei parata fuit, eam vir sanctus sua manu ei præbuit, moxque negotio quodam emergente, alio festinus abscessit. Interim eger ille non satis cautè se gerens, morbo incrementum post paucos dies vita functus est: atque eius obitum, ut habet consuetudo, omni congregationi, is, quem Supporem vocant, literis denunciauit. Interea vir Dei reuertens, & de fratris decessu factus certior, causam mortis eius cognoscere studuit. Quæ cum ei exposita esset, mandauit in tota congregatione aboleri memoriam eius propter illius inobedientiam, quod se non satis cautè custodiuisset. Cum sic igitur fieret, nec quisquam pro eo oraret, aliquot dierum euoluto spatio, clara die defunctus cuidam fratri apparuit, eique indicauit se esse illum, qui à vita migrasset. Illo verò sciscitante, quo in statu res ipsius essent, respondit se excommunicatum esse, & per patrem

trem Iohannem à fidelium confortio segregatum: quod accipiendum est de suffragijs. Illo rursus percontante, qua posset ratione iuuari, respondit defunctus: Si me sanctus Iohannes reconciliare voluerit, sicque disparuit. Tum frater ille beatum virum accessit, eique, quid vidisset & audiuisset, enarrauit. Mox pius pater seueritatem misericordia temperans, iussit in monasterio & per omnem congregationem, officium & eleemosynas pro illo fieri. Quibus peractis, post dies triginta iterum eidem fratri defunctus apparuit alacer & iucundus, gratias agens sancto Iohanni, quòd eum reconciliasset: absolutusque à pœnis, ad beatorum cœtum proficiscebatur.

Precibus & eleemosynis liberatur frater a pœnis.

Cap. 15.

Alius quidam, Florentinus nomine, vir eloquens & moribus ciuilibus, qui Simoniana perfidia valdè se contaminarat in cuiusdam Episcopi suscepto patrocinio, cum grauissimè decumberet, iam iamque moriturum se affirmabat, atque inter acerbos mœstosque luctus crebrosque singultus, per amicos à beato Iohanne habitum ordinis eius sibi donari petijt. Assensit vir sanctus, nec multum cunctatus, nouitiorum habitum cum induit. Eo indutus, cum iam reualuisset, & scipioni innixus, monasterium perlustraret, prior morbi vis eum denuò inuasit, ita vt morti propinquus videretur. Id vbi vir sanctus audiuit, ad lectum ægroti cum multis fratribus accessit, eumque à corpore migraturum Domino cõmendauit. At æger caput suum pallio, quo erat operatus, textit, & viro sancto, cur id faceret, inquirente, respondit timens & tremens: Video satanam propè assisterè, è cuius ore vasta flamma funditur, & ex naribus fumus sulphureus prodit. Cum autem locum, in quo illum cernebat, viro Dei indicasset, ille ablata è manu tenentis Cruce, diabolum ea egregiè verberauit. Tum ille mox instar fumi euauit, & ægrotus in has prorupit voces: Gratias Deo, ecce aufugit satan, ecce recessit. Et ecce adest beata Maria, sanctique Petrus & Benedictus. Atque his dictis, spiritum exhalauit.

Cruce verberat demonem.

Cap. 16.

Episcopus Florentinus Simoniacus & hæreticus.

Vir beatus Episcopum Florentinum, Petrum nomine, patria Ticinensem, non solum Simonia, sed etiam hæresis propter illud vitium cum suis fratribus reum asserabat, nec ab illo sacramenta percipienda distabat. Indè verò vehemens orta est contentio in Clero & populo Florentino, alijs Episcopum defendentibus, alijs monachos laudantibus, quòd tanta libertate illud vitium detestarentur. Cumque ea causa non raro seditiones tuncirentur, persuasit sibi iniquus ille Episcopus eam se infamia notam facile aboliturum, si monachos illos curaret occidi, vt eorum exemplo ceteri eius aduersarij terrentur. Misit igitur nocturno tempore multum equitum & peditum turbam armatam ad monasterium sancti Saluij, vbi tum beatus Iohannes morari putabatur, qui tamen pridè indè recesserat ad Umbrosam Vallem.

Crudelitas Episcopi Florentini.

Ingrediuntur vi in monasterium ministri tenebrarum, & quos inueniunt monachos, eos crudeliter vulnerant, in agnos haud secus atque lupi insipientes. Nullum verò monachorum murmur, nulla querimonia auditur: sed patienter illi ferunt iniurias illatas, gratias agentes Deo, qui eos dignos fecisset, vt pro illo paterentur, qui est veritas, quæ nec fallere, nec falli potest. Nec his contenti satellites Episcopi, in monasterium prius vastatum & expoliatum, ignem iniiciunt. Sed vndè inimicus victoriam & sui exaltationem sperabat, indè detrimentum potiùs & ignominiam reportauit. Multi enim ex ijs, qui antè illi fauerant, eumque defendendum susceperant, tantam eius impietatem & barbariem cernentes, ad monachorum partes sese adiunxerunt. Altera die, eo iam diuulgato maleficio, multi venère ad monasterium, eiusque perspecta vastatione & desolatione, multis modis fratribus monasterij opitulati sunt. Porro beatus Iohannes eius rei nuncio accepto, simul eò aduenit vidensque fratres suos nudos, flagellis caesos & verberatos: Nunc, inquit, monachi estis. Sed cur sine me isthac ferre voluistis? Doleo profectò non mediocriter, quòd coronarum vestrarum particeps fieri non merui.

Consolatur vir Dei fratres verberatos.

Cap. 17.

Postea verò monachi cum amicis suis Romam profecti, Petrum Florentinum antistitem publicè & quidem constanter hæreticum & Simonia labe sedatum proclamant, & eius rei confirmandæ causâ offerunt se paratos ad subeundos ignes. Verum Alexander Pontifex, qui tum in Petri cathedra residebat, nec accusarum deponere voluit, nec vt monachi in ignem ingrederentur, admittere. Maxima enim Episcoporum pars, qui ad Synodum generalem cõuenerant, Episcopo fauebat, monachis aduersabatur. Sed Hildebrandus Archidiaconus, qui postea fuit Gregorius, eius nominis septimus Romanus Pontifex, partibus beati Iohannis studebat, easque tuebatur. Porro Dux quidam Godefridus vsque adeò Episcopo fauebat, vt etiam mortis

Hildebrandus postea Gregorius 7.

mortis minas monachis intentaret. Itaque hac durante controuersia, qui Iohanni adhaerebant, tam laici quam monachi, multas ab aduersarijs iniurias percessi sunt. In ijs fuit Archipresbyter summæ ædis & Prior, qui quòd Iohanni adhaereret, ex vrbe Florétina dimissus est. Ad extremum monachi aiunt illis, qui Petrum Episcopum suum defendendum susceperant, se per ignem transituros: & si, vti benè confidunt, indè illi exierint, hortantur, vt idem cum ipsis sentiant de Simonia Episcopi. Sin minùs, paratos se dicunt vnà cum alijs venerari Episcopum, & à Simonia immunem pronunciare. Ea res cunctis placuit. Præfigitur itaque locus & dies, quo isthuc fieri debeat, vt si qui velint, possint coràm intueri. Locus præfixus est in monasterio Septimi, quod tunc erat Ordinis memorati, nunc verò Cisterciensium est. Dies fuit quarta feria primæ hebdomadæ Quadragesimæ. Modus probationis fuit eiusmodi: vt in loco publico duæ lignorum strues iuxta se fierent, quæ obtinerent in longum decem pedes, in latum quinque, in sublime quatuor & dimidium. Inter vtrasque autem strues femita interesset longitudine brachij, prunis ardentibus constrata, per quam vnus ex monachis transiret. Vbi aduenit statutus dies & hora, inuitatur Episcopus Petrus à suis, vt accedat visurus tantæ rei experimentum, nè ciuitas Florentina tam diuturna vexetur altercatione. At ille prorsus renuit: immò si qui charum eum haberent, eos eò accedere vetuit. Sed plebs omnis vtriusque sexûs & cleri maxima pars, illuc properarunt. Pollicentur fautores Episcopi, si ea probatio suo potiatu effectu, vt quispianiam è fratribus per ignem illæsus transeat, se ipsis suffragaturos, & ab Episcopo defecturos. Itaque fiunt litanie & aliæ preces à monachis, sacrificium solenniter celebratur ab Abbate illius instituti, clericis & monachis adiuantibus. Vbi ventum est ad Agnus Dei, vnus ex monachis fert aquam sacratam ad aspergendum, alius thuribulum thuris incendendi causa, tertius faculas ad ligna inflammanda: quartus imaginem Crucifixi. Inuocatur à cunctis Dominus Iesus Christus & sanctissima mater eius pleno ore, vt rei veritas declaretur. Sacrificio peracto, deponit casulam, Crucemque manu gestat Abbas, qui sacrificauerat. Petrus quoque dicebatur. Litanij absolutis, vnus ex Abbatibus eligitur, qui clara voce populo exponat petitionis & sponfionis conditionem. Deindè Abbas Petrus cum Cruce, quam manu gestabat, S. Iohanne interim coràm adstante & orante, ingreditur per medios ignium globos, flamma in sublime ascendente, calcaturque ardentibus prunas, quæ erant in via inter lignorum incensas strues. Sed priùs, quam ingrederetur, cunctis audientibus, ita precatus est: Domine Iesu Christe, lux vera omnium in te credentium, peto misericordiam tuam, oro clementiam tuam, vt si Petrus Ticinensis, qui dicitur Florentinus Episcopus, pecunia Florentinam sedem occupauit, tu æterni patris filius, tu mea salus, in hoc tremendo iudicio ad me adiuuandum festines, & me illæsum sine vllis adustionis vestigijs conferues, sicut olim tres pueros in fornace Babylonica seruasti. His dictis, per medios penetrat ignes, neque corpori, neque vestimentis vllò adustionis vestigio inherente. Cumque vellet vertere sese, & eadem via per flammam reuerti, à populo retinetur, quippè iam perspicuè rei propositæ veritatem edocto. Nec verò satiari poterant eius præsentia, alijs manus, alijs pedes, reliquis vestimenta eius exosculantibus. Beatum se existimabat, quisquis vel fimbriam vestij eius posset contingere. Ità Simon Petrus magnis celebratur laudibus: Simon Magus vt stercus ab omnibus conculcatur: & Petrus, non Apostolus, sed Episcopus, Simoniacus ab omnibus pronunciat, & vt hæreticus euitatur.

Attende sanctam monachorum fiduciam, qui pp veritate se ignis periculo commiserunt.

Episcopus huic spectaculo interesse recusaui.

Abbas Petrus illæsus per medios ignes transit.

Petri Abbatis oratio.

Dan. 3.

Cap. 18.

S. Iohannes perceptis sacramentis mortè oppetit. de Passiniano.

Denique Senatus populusque Florentinus rem totam solennibus literis perscribit Pontifici Alexandro, humiliter orans, vt quemadmodum Simon Petrus Simonem Magum maledictione damnauit, ita ipsius sanctitas velit Petrum Florentinæ Episcopum ea dignitate priuare, & alterum ei substituere. Fecit ita Pontifex Alexander, iustitia id exigente, ob tollenda scandala, & alius Florentinis datus est antistes. Postea verò beatus Iohannes iam senio confectus, in morbum incidit grauissimum: congregatisque è diuersis locis Abbatibus, suum è vita hac decessum pronuncians, hortabatur omnes, vt Canonem monasticum accuratè obseruarent, & vnitati fraternæque dilectioni studerent: perceptisque cum multa deuotione sacramentis, spiritum celo reddidit in cõraminatum, anno Dominicæ incarnationis millesimo septuagesimo tertio, quarto Idus Iulij. Tertio indè die humatus est in ecclesia monasterij * Passiniani. Post obitum eius omnipotens Deus multis eum miraculis illustrauit.

VITA